

*An Extract of Signor Cassini's Letter concerning a Spot lately seen in the Sun ; together with a remarkable Observation of Saturn, made by the same.*

Clarissimo Viro

Domino *Henrico Oldenburg* Regiæ Societati à Secretis  
*Joh. Dominicus Cassinus, S.*

**G**Ratissima mihi fuit observatio Solaris maculæ, quam a Domino Flamstedio exhibitam mihi communicare dignatus es! Eandem hinc observavimus à die 6 Augusti ad 14 S.N ; collatione-que observationum didicimus, eam medium itineris sui in Solis disco apparente tenuisse circa mediam noctem post octavam diem Augusti in distantia apparenti trium minorum à centro Austrum versus. In plures distracta partes est, quæ invicem Boream & Austrum versus in dies satis manifesto intervallo disjungebantur, adeo ut, præter motum communem circa Solis axem, singulæ partes proprium inter se directum habuerint. Hanc porro maculam diversam esse sentio ab ea, quàm precedenti mense Junio observaveramus. Illa quippe cum medium itineris sui in disco Solis apparente tenuerit die 28 ejusdem Mensis, ad eundem proximè situm reversa esset ( si fuisset superstes ) die 25 Julii nocte sequente, ut deducitur tum ex ejus velocitate, tempore suæ apparitionis observatâ, tum etiam ex cursu aliarum macularum, quæ periodum suam circa Solem à nobis videntur absolvere spatio dierum 27 cum triente, vel 27 cum semisse. Ejus præterea semita diversa est à precedenti; prior quippe paulo remotior fuit ab Æquatore macularum, quàm posterior. Hæc porro, si satis habuerit consistentiæ, ad medium Solem redibit die 5 Septembris mane. Ex ejus descriptionis phasibus duas selegi, quarum comparatione ipsius innotescit distractio. Vid. Tab. II. Fig. 2 & 3.

X x x x 2

Scriba

Scribo apud D. d'Alencé, qui mihi Acta tua Philosophica mensis Julii communicavit. *Observationes Solaris Eclipsis ibi contentas conferam expendamque: Ex schemate Saturni à Clarissimo Hevelio ante annum observato video, eum Telescopiis, nostris longè inferioribus, uti. Tunc enim temporis (ut & nunc) cernebatur nobis in Saturni globo Zona subobscura, paulo Australior centro, instar Zonarum Jovialium. Deinde latitudo annuli dividebatur bisariam, lineâ obscurâ apparenter Ellipticâ, re verâ circulari, quasi in duos annulos concentricos, quorum interior exteriori lucidior erat. Hanc phasim statim post Emerfionem Saturni è Solaribus radiis per totum annum usque ad ejus Immerfionem conspexi; primò quidem, Telescopio pedum 35; deinde minori, pedum 20. Ejus delineationem, utcunque rudem, proferante calamo hic adjeci. Vid. Tab. II. Fig. 4.*

Vale, Vir Clarissime, & me, ut soles, ama.

Parisiis die 26 Augusti 1676.


Fig. III.  
14 Augusti



Tab. II.  
PhTr N° 128.

Fig. I.

Fig. II.  
M. scutum  
8 Aug



July 27

28

29

30

Aug. 1

2

3

4

Fig. IV.





Fig. V.



d

VI

c

